

11+12/88

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC. 74

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	ÖS 140.--
In ceteris Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	ÖS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Carae carique legentes

Anno exeunte omnibus, qui hoc anno nos adiuverunt symbolas mittentes - sine quibus noster libellus non aequè florere posset ac floret et crescit! -, maximas gratias ago et simul spero et vos scribentes legentesque porro fidem nobis praestatueros esse et alios, qui adhuc nondum stilum ceperunt, proximo anno nobis scripturos esse.


Felices sint vobis dies natalis Iesu et annus venturus MCMLXXXIX! Contingat vobis, quae optatis, sed - quia hominum mortalium sors est, non omnia assequi - ne animum demittatis, si, quae vobis proposuistis vel cupivistis, non semper adipiscamini!

Hominibus autem quid est exoptandum? Ut consensus et tolerantia et hoc modo pax quoque inter eos augeatur, sive inter singulos nostrum, sive inter nationes, neve praeiudicatis opinionibus, creandis hostibus fictis (Feindbilder) pertinaciaque caeca impediatur; ut homines, quibus agentibus ad facinora et optima laetissimaque et atrocissima pessimaque efficienda est potestas, viribus suis non ad destruendos se ipsos, sed ad res salutare conficiendas velut ad bella componenda, pacem constituendam, cibum omnibus terram habitantibus praebendum, utantur; ut curent nostram terram servandam et tuendam neque porro rerum naturam vastandam, ut liberis ac posterioribus quoque nostris, erga quos maxima responsabilitas nobis est, haec terra sit ad habitandum vivendumque idonea et iucunda.

Magna vota - scio. Sunt autem multi homines magnanimi, qui in diem summa vi illis rebus operam dant. Quibus hominum saluti studentibus vel incumbentibus Fortuna quam maxime faveat!

Iterum felicem, faustum fortunatumque annum novum!

Valete!



Daniel Weissmann

DE ITINERE HIBERNICO

(narrationis pars secunda)

Monasteria enim mediaevalia tota in Hibernia plane diruta sunt ab Anglis saeculo decimo septimo Cromwell(io) duce insulam vastantibus et contra catholicismum ferro ignique saevientibus. Per tria fere saecula Hiberni servis miseriores in ipsorum patria vitam degere cogebantur, sed pati quam religionem derelinquere malebant. Certis intervallis rebelliones pro libertate amissa recuperanda gesserunt, at semper Angli validiores ac potentiores se praestabant Hibernosque eo magis suppresserunt. Quo fit, ut et sexaginta annis post libertatem tamen acceptam Anglos non ament clamque succurrant terroristis illis, qui Hiberniam septentrionalem sub ditione Anglorum et hodie stantem vi cum re publica Hibernica coadunare volunt.

Drommorland Castle - tale enim est nomen arcis a nobis primae visae - non modo aedificio ipso constat, sed etiam rure longo latoque, cui sunt prata, silvae, stagna piscibus avibusque aquariis abundantia. In pratis a plurimis hominibus pilamalleo (1) luditur, ludo ergo, quo apud nos ditissimus quisque delectatur, in Hibernia autem, quisquis voluerit.

Arces sicuti Drommorland Castle saeculis septimo decimo, duodevicesimo undevicesimoque dominis Anglis erant, unde rusticis Hibernis sanguinem, i.e. potestatem vivendi, exsugebant. Qui cum vectigalia tribuenda solvere non possent, de villa agroque propulsabantur inscii, quo se verterent. Multi ea de causa in Americam transfugiebant spe semper capti revertendi in patriam tantopere amatam. Hodie arces Hibernicae rei publicae sunt atque deversoria, musea aliave usurpantur.

Hora octava iterum in aëriportu eramus, qui Henricum, amicum nostrum, exspectaremus. Quem, cum appulisset, magno clamore salutavimus, sed salutibus votisque mutatis Henricus me ludibrio habere coepit sicut ei est mos: "Dic, Martine, vir antiautocinetice, placetne tibi mos vehendi Hibernicus?" Profecto sane haud facile est autocinetum regere, quia Hiberni tamquam Angli sinistro in viae latere vehi assueverunt. Nihil respondi, sed vehiculum nostrum tam

sinistrorsum direxi, ut Henricus nos arboribus arbustisque collisum iri pro certo haberet.

Die insequenti iter nostrum per comitatum (2) Clare perreximus. Hibernia enim est divisa in comitatus triginta, quorum sex sunt adhuc sub ditione "Regni Uniti", quia ibi plures protestantes quam catholici vivere dicuntur, qui Rei Publicae Hibernicae esse omnino nolunt. Minoritas autem catholica nil flagrantius optat desideratque quam ut tandem cum ceteris Hibernis congregetur. Sed quo vehementius catholici confusionem postulant, eo pertinacius protestantes sub corona Anglicana manere cupiunt, quippe qui timeant, ne ipsi minoritas facti eodem modo supprimantur, quo nunc catholicos profligatos habent. Sic solutio inveniri non potest neque poterit usque ad illum diem, quo catholici protestantesque pacifici inter se vivere decreverint. Sed utrum hoc fiat Kalendis Graecis an antea, quis iudicare audeat?

Comitatus Clare multa praebet visitanda et contemplanda, velut rupes Moherianas (Cliffs of Moher), Burren, vicos amoenos nec non litora harenosa, quae indigenas ad lavandum apricandumque invitant, non autem peregrinos, cum temperatura Hiberniae rarissime viginti gradus Celsiusianos transgrediatur, ne mense Quinctili quidem. Iustitiae causa etiam confitendum est hieme temperaturam vix infra nullum gradum Celsiusianum descendere! Iam diu litus Atlanticum secuturi eramus, cum subito Monica exclamavit: "Ecce, video rupes Moherianas! Quem aspectum allicientem! Quod creaturae miraculum!" Sine ullo metu uxor mea autocineti relicto rupibus, quae sunt circiter ducenta metra altae, appropinquavit, humum se prostravit atque manibus pedibusque usque ad extremam rupium marginem repsit, quo melius undas Atlanticas vento contra saxa iactatas observaret. Stridor aquarum clamorque avium aquariarum miram horribilemque musicam genuerunt. Seu his sonibus territus seu vertigine correptus "Monica!" vociferavi, "ne ultra processeris! Cave, ne cadas! Noli mortem amplecti, nam sine te, quis me amplectetur?" Si rupes essent in Helvetia, certe saepa vel filum spinosum (3) homines impedirent, ne nimis appropinquarent. Praeterea arcarius (4) quidam a rupes spectandi cupidus pecuniae copiam satis magnam posceret eosque, qui solvere recusaturi fuissent, ab aditu arceret. Non ita res se habent in Hibernia: Nemo hirudini similis praetereuntes

exsugit, nemo aditum defendit, nulla saepta videntur, signum tantummodo ferruginosum paucis verbis monet rupes esse periculosas.

Burren dicitur regio quaedam valde mirabilis atque miranda: Cum primum eam videris, nil te cernere putabis nisi planitiem lapidosam similem aspectui, qui in luna esse fertur. At si oculos melius intenderis, multas cognosces herbas raras neque alio Hiberniae loco inventas, velut gentianam, quae in regionibus alpestribus florere solet. Burren etiam est sedes nonnullorum sepulcrorum megalithicorum, quae extra Hiberniam imprimis in Britannia Minore (5), patria Asterigis Obeligitque, constructa sunt.

Proximo die comitatum Galviae (6) invasimus, qui mihi comitatus Hiberniae exemplarissimus esse videtur, non modo quoad varios regionis aspectus, sed etiam quoad vitam hominum. Paludes, lacus, stagna, montes calvi, litora maritima viatores per vias stratas flexuosas neque bene curatas vehentes vel migrantes mutuo aspectu semper semperque delectant et stupefaciunt. Haud raro discernere nescis, utrum sinus maritimus an lacus aquae dulcis plenus tibi pateat, nisi tabulam geographicam usurpaveris. Hic in locis solitariis homines non crebro nobis occurrebant, sed, si quem videbamus, is nos signo manu dato familiariter salutabat, velut ac si amici ei essemus iam antiquitus. Nos Helvetii, qui sicut engraulides (7) confarti vivere cogimur, vix imaginari possumus, quomodo homines solitudine congregentur: Peregrini in Hibernia non hostes habentur, sed hospites. Audite exemplum:

Nos cum iam longe lateque per Connemaram, comitatus Galviae partem et remotissimam et amoenissimam, erravisset, tempus pernoctandi advenisse putavimus. Ego: "Dic, Henrice, Hiberniae peritissime, ubinam hic inter paludes ovesque semiferas deversorium magnum reperiamus? Fessior sum quam si Berna Galviam cucurrisset. Fac nobis lectos pares!" Quibus vix dictis villam animadvertimus satis splendidam magnamque et, quod nobis maxime placuit, inscriptione magica "B & B" munitam. Henricus: "Quid quereris, stulte? Hic dormiemus." Hoc autem temporis momento autocinetum retro a villa ad viam vectum est, sed cum primum auriga nos erat intuitus, tunc frenata vehementer pressit nos interrogaturus, quid optarem. Non modo auriga autocinetum inerat, sed tota

eius familia, quae vesperum in oppido propinquo degere voluerat. At cum audissent nos locum pernoctandi quaerere neque dum cenavisse, subito vehiculo egressi domum repetiverunt, ut nobis lectos cibosque pararent. Neque aegre tulerunt, sed familiariter nobiscum sermocinati sunt. "Quando", nos interrogaverunt, "optatis, ut crastino die ientaculum paretur?" - "Quandocumque vobis libebit." - "Vos estis hospites, ergo vos dicatis." - "Sit ita: Placetne hora septima?" Tunc paululum obmutuerunt oculis terrore nescio quo opertis. Silentium tandem ruperunt verbis his: "Ignoscatis, quaesumus, nobis, o peregrini maxime honorabiles. Fierine poterit, ut ientaculum hora octava sumatis?" Subridentes consensimus memores Hibernis nil esse horribilius quam bene mane surgere. Fabula quadam narratur auriga Hibernus hora octava matutina aliquando benzinopolium adisse, ut benzinam posceret. Quod nemo venisset ad benzinam implendam, ianuam vehementer pulsavisse et clamasse: "He, O' Connor, fac lecto escendas, receptaculum (8) meum vacuumst!" Ad quae O' Connor aegre ferens murmurasse: "Fac pergas vehi, Paddy O' Neil, proximum benzinopolium (9) non longius abest decem milia passuum. Equidem ante horam nonam surgere non soleo!" Tales sunt Hiberni: Qualitatem vivendi lucro anteponunt, esse quam habere malunt, ut verbis Fromm(ii) poëtae psychologique utar. Nihilominus hospitalitatem non neglegunt: Si ille O' Connor unicum totius regionis benzinopolium possessisset, certe surrexisset, qui Paddy (Patricii) O' Neil receptaculum impleret.

- | | |
|--------------------------|---|
| 1 pilamalleus, -i (m) | Golf/ le golf (jeu)/ golf (game) |
| 2 comitatus, -us (m) | Grafschaft/ conté/ county |
| 3 filum spinosum, -i (n) | Stacheldraht/ fil de fer barbelé/ barbed wire |
| 4 arcarius, -i (m) | Kassier/ caissier/ cashier |
| 5 Britannia minor (f) | Bretagne |
| 6 Galvia, -ae (f) | Galway |
| 7 engraulis, -idis (f) | Sardine/ sardine/ sardine |
| 8 receptaculum, -i (n) | Tank/ bidon/ tank |
| 9 benzinopolium, -i (n) | Tankstelle/ poste d' essence/ petrol station |



Martinus Meier

De Snegurca vel puella nivea

Rusticus quidam nomine Ivani et uxor eius nomine Maruschae aliquo in vico Russiae vitam probam agebant. Cum autem liberis carerent, persaepe tristitiae se tradebant. Quodam die hiemali, cum nives in vicum cadebant atque vicinorum pueri in horto ludis se dabant, Ivanus: "Nos quoque", ait, "in hortum ibimus et hominem pulchrum e nive conficiemus." Maruscha: "Velim quidem", inquit, "ut puellam niveam struamus, quoniam pueri veri nobis dati non sunt." Et coniuges puellam niveam magno cum gaudio struxerunt. Opere confecto ecce puella nivea membra sua movere coepit, oculos caeruleos aperiens et coniugibus dulce ridens. Erat sane puella formosissima. Tum Maruscha: "Ivane, Ivane, Deus omnipotens preces nostras denique audivit! Filia nobis dono data est." Et ambo, magna laetitia affecti, puellam domum adducunt. Profecto fortuna secunda utuntur. Puella enim, quam Snegurcam vocant, in dies doctior fit. Apud vicinorum liberos permultum valet, ludis eorum semper interest. Cantat saltatque cum aequalibus. Omnium iudicio probatur, est enim puella lepidissima.


Hiems tandem solvitur et omnes homines vere novo gaudent. Ambulant per silvas et in pratis primos flores carpunt. Snegurca autem domi manet, tristis, capite demisso. Tum Maruscha: "Quid agis, ocella? cur tam maesta es?" Et puella: "Bene valeo, matercula, omnia optata mihi contingunt." Sed lacrimis vix temperat. Et iam ver aestati cedit et liberi silvas laetas permigrant bacas collectum. Puella nivea autem in angulis domus latet radios solis fugiens. Tum Maruscha: "De te valde laboro", inquit, "multas lacrimas mihi iam attulisti, nam in quendam morbum incidisse videris. Nescio, quid faciam." Et puella: "Noli te macerare, matercula, meliuscule iam mihi est." Et mater spe nova elata filiam osculat et: "Oro te, ut foras eas cum amicis tuis et gaudeas caelo sereno aereque salubri silvarum." Et puella semper obeodiens foras it et una cum comitibus per silvam migrat. Qui sane iocantes huc et illuc cursitant. Puella nivea autem aegre eos sequitur. Subito liberi suspirium percipiunt, sed capita retro vertentes neminem

vident. Vident tantum parvulum nivis cumulum celeriter liquescentem. Tum liberi metu incitati comitem suam nomine vocant: "Snegurca, ubi es?" Sed responsum non fit. "Fortasse iam domum remeavit!" exclamat aliquis. Et liberi tristes in vicum remeant semper puellam nomine vocantes. In vico autem puella non videtur. Tum incolae vici, imprimis parentes miseri, complures dies puellam et in vico et in silva quaerunt. Puella autem nusquam apparet. Parentes infelicissimi nihil reliqui faciunt, quominus puellam carissimam reperiant. Et Maruscha iterum iterumque exclamat: "O Snegurca, deliciolae nostrae, ad nos revertere!" Sed clamat frustra. Parentes maerore fere contabescunt.

Sed non raro fit, ut vocem suavam filiae percipere videantur. Tum spem aliquam denuo capiunt. Res acta nondum est. Fortasse, cum nives iterum in vicum cadent, puella cum nivibus ad parentes revertetur. Quod omnes sperant.

(Secundum fabulam originem e Russia trahentem).

Barbara Maier



Compositor Irvingius (Ervinus) Ber(o)linus 100 annos natus

Mors ipsa refugit saepe virum.

(Marcus Annaeus Lucanus (39 - 65), Pharsalia II, 75)

Compositor celeberrimus Americanus Irvingius (Ervinus) Ber(o)linus (Irving Berlin) die Mercurii XI^o mensis Maii anno MCMLXXXVIII^o diem suum natalem genialiter egit celebravitque Novo Eboraco in oppido Civitatum Foederatarum Septemtrionalis re et veritate iam C^m (verbo: centesimum!)

Irvingius autem Ber(o)linus qui dicitur die Veneris XI^o mensis Maii anno MDCCCLXXXVIII^o Temuno in loco parvulo Sibiriae imperii Russici sub nomine Israel Isidorus Balin(us) natus est. Quattuor paene annos natus in novum mundum (qui

dicitur) Novo Eboraco in oppido in parte Manhattania (Manhattani = Algokine loquentes Indiani), in regione advenarum hospitio seu tecto receptus est. Munus autem capessivit oblectatrix (vulgo Americanice: entertainer, Theodisce: Unterhalter) atque pueri cauponis cantantis (Americanice: singing waiter) in thermopolio (Americanice: bar) in vicinia.

Irvingius Ber(o)linus plus quam mille cantiones composuit, quarum quattuor et viginti interea diutissime factae sunt "semper virentes" (Anglice: evergreens). Modo eo hodie Irvingius Ber(o)linus diu iam - utcumque res se habet - in omnes partes est "multimilionarius". In otium cum dignitate diutissime recessus atque ab omni parte vitae negotiorumque remotus Irvingius noster modeste hodie Novo Eboraco in oppido in regione Manhattania vivit. Rarissime foras seu domo exit aut spatiatur seu obambulatur locis circumiacentibus et regionibus vicinis, perquam raro etiam salutandi causa venit ad officium scriptorium seu grapheum "Irvingii Ber(o)lini Corporationis Musicae" (Anglice: Irving Berlin Music Corporation). Oculorum autem eius lumina tanto modo in peius interea iam mutata sunt, ut ipse non iam diutius possit legere libros aut acta diurna aut commentaria periodica. Ob eam rem diem suum natalem iam centesimum in circulo strictissimo artissimoque familiae amicorumque egit et celebravit. Quin etiam magister civium Novi Eboraci oppidi Eduardus Irvingius Coquus (Edward Irving Koch), die XII^o mensis Decembris anno MCMXXIV^o natus, qui diem natalem magno cum apparatu genialiter sollemniterque cum Irvingio nostro Ber(o)lino una celebrare in animo habuerat, nunc sine illo hospite honorario aetate ingravescente longius provento solus illum diem invito animo celebrare coactus erat.

Gratulamur autem seni venerabili reverendoque de die natali saeculari omniaque ei exoptamus et bona et pulchra et prospera "ad multos et multos annos", nam mortem ipsam refugere saepe virum constat.

Index brevis cantionum fere omnibus notarum:

<u>Latine:</u>	<u>Anglice:</u>
Natalicia Christi candida	White Christmas
Hic est exercitus	This is the Army

Nullum est negotium sicut negotium spectaculorum	There's no business like show - business
Dicunt amore captum esse mirum sit	They say that falling in love is wonderful
Deus fortunet Americae	God bless America
Anna, sclopetum cape tuum	Annie, get your gun
Me voca dominam!	Call me Madam!
Carum habeo Iceum!	I like Ike!

AMICUS



Fabula de ludorum Olympicorum origine

Hoc anno denuo illi ludi Olympici magno cum sumptu facti sunt. Itaque mihi videtur pauca de ludorum origine in memoriam redigere. Fabula est haec: aliquando Oinomaus rex in regione Elidis vitam egisse et Pisam oppidum regiam

constituisse fertur. Rex oraculo monitus, ut generum futurum caveret, Hippodamaïam filiam magna cum diligentia custodiebat. "Filiam meam", inquit, "ei soli in matrimonium dabo, qui curriculo me superaverit. Sin autem a me victus erit, vitam miserrime ponet." Iam tredecim adulescentes vitam crudeliter amiserant, cum Pelops, Tantali filius, Hippodamaïam petivit. Regis aurigam, nomine Myrtili, magna pecunia corrupit. Qui ante certamen aliquas partes rotarum ferreas curriculo regis exemit et bacillis cereis supplevit. Oinomaus curru excussus a Pelope hasta confossus est. Pelops Hippodamaïam in matrimonium duxit et regnum Elidis consecutus est. Certamen inter Oinomaum et Pelopem factum initium ludorum Olympicorum ducitur. Auriga perfidus autem in mare se praecipitavit. Postea in astrum mutatus est. Terra sane, cuius Elidis regio pars est, nomine Pelopis Peloponnesus appellabatur.

Barbara Maier

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITUR! DIES VLTIMA KALENDIS FEBRVARIIS EST!


PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
 secundum et tertium praemium LIBELLVS

ad libram

- | | |
|--|--|
| 2 latro | 12 ".... diem" Horatius poeta dixit |
| 4 ventus ex oriente vel meridiano flans | 14 flagrantia |
| 6 deus Romanus | 15 quae in mari inveniri potest (Acc.) |
| 9 pars corporis musicis maxime necessaria (Dat.) | 17 milites |
| 10 articulus linguae Italicae | 18 nutrir |
| 11 unde frumentum capi solet (Acc. pl.) | 19 prodigium |
| | 20 quae sine comitibus est |

- 21 de ... Seneca philosophus tres libros composuit
 22 incitavi
 23 principia omnium animalium et stirpium
 25 alimentum lactentibus vel infantibus aptum

- 26 pronomen reflexivum
 27 Persae (Nom. pl.)
 28 gubernator Atheniensis, cui cognomen "iustus" erat
 30 ubi fabulae producuntur
 31 precare



ad perpendicularum

- | | |
|---|---|
| 1 uxor filii (Abl.) | 6 in quadam pellicula temporibus nostris uxor Iesu illa dicitur |
| 2 quasi coniuges apium (Dat. pl.) | 7 fluvius prope Spartam situs (Acc.) |
| 3 rusticus | 8 poeta celeberrimus Graecus (Gen.) |
| 4 homines hunc evitare non possunt (Dat.) | |
| 5 fontes salientes (Gen.sg.) | |

- | | |
|--|--|
| 11 pars umeri (Acc. pl.) | 21 allicio |
| 13 vadamus | 22 "sapere" Horatius
poeta dixit |
| 14 quae homines musica, pic-
turis, fabulis carmini-
busque delectat | 24 uxor Osiridis dei Aegyptii |
| 15 quae alicui maxime cordi
est | 25 instrumenta pastorum |
| 16 pronomen personale (Gen.) | 27 nummus Graecus |
| | 29 fricari |

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann



De Lacus Benaci larva

Fabula res tragicas comice agens

Personae:

Rapax caupo, Locusta copa, Aulus mercator, Sextus Auli famulus, chorus.

Scaena I

Chorus:

Vos omnes scitis
E Catulli carmine
Paeninsulam venustam
Sirmionis nomine

Sitam in undis Lacus Benaci
Esse terram iucundam hospiti.

In illa loca
Fabula vos adducet.
Sed loca placida
In conspectum non venient,
De caupone scelesto agetur,
Qui coniuge suadente viatoribus
Bona vitamque eripit turpissime.

Caupo copaque noctu
Larvae specie
Utuntur et invadunt hospitem,
Cui soporem dederunt letalem.

Sed immortales
Nihil dimittunt impunitum.
Quod huius fabulae eventus demonstrat.
Audite spectateque
Id quod sequitur.

(Chorus abit)

Tempestas, fulgura, tonitrus.
Sumus in Rapacis caupona haud incommoda.

Rapax : Hui, magna tempestas coorta est...edepol, vix ulli hospites in domum nostram devertentur.

Locusta: Falleris, optime; ecce duo viatores, qui navicula lacum pervecti sunt. Recta via in cauponam se conferunt. Laboribus confecti sunt. Victimae facilimae erunt.


Rapax : Recte dicis, corcule. Isti domi nostrae optime dormient. Necessarium non erit eos trucidari corporaque eorum in lacum iaci. Itinere fessi vino somnifero resistere non poterunt.

Locusta: Bene attentus sis, optime. Nondum omnium dierum sol occidit. Vino soporem fortissimum immiscebo. Tu hodie larvae partes ages. Equidem secundis partibus contenta ero.

Rapax : Haud dissentio, optima. Clava mortifera semper parata est. (viatores advocat) Heus, heus, amici, venite huc! Hospitaliter domi nostrae accipiemini. Deversorium hoc tota regione praeclarum est.

Locusta: (parva voce) Vetulus is speciem divitis mercatoris praebet. Hui, arca nostra mox implebitur.

Rapax : (parva voce) Tace, iam appropinquant. (magna voce) Salvete, domini, et domum intrate!



Locusta Rapax Aulus Sextus

Rapax: Salvete, domini, et domum intrate!

Aulus : Salve, bone vir. Fortuna secunda sane utimur. Deis immortalibus gratiam iustam referimus, quod e tempestate servati ab hominibus probis accipimur.

Locusta: Equidem deis gratias ago. Sed unde venitis?

Sextus : Dominus meus bona negotia Salodii gessit. Veronam proficiscentes imbris maximis deprehensi sumus. Via arboribus caesis impedita raedam nostram reliquimus ac navem conscendimus. Deis iuvantibus

gubernator noster in Sirmionis portum pervenire potuit. Cras iter Veronam facere in animo habemus.

Locusta: Ut dei vobis faveant, optimi! Sed ubi gubernator vester est?

Aulus : Hospitium petivit ab aliquo pescatore cognato huius loci.

Rapax : (parva voce) Nos prudentes esse oportet. Testis enim in propinquo est. (Magna voce) Accumbite quaeso, optimi. Uxor mea cenam opulentam vobis parabit. Mox vires vestras vino bono redintegrabuntur.

Locusta: Hi, hi, recte dicit mel meum. Guttulam optimam eis parabo. (Clam e lagena liquorum quandam urceum infundit, tum vinum ministrat.) Bibite, ex libidine, amici! Utinam vinum id vobis prosit!

(Hospites bibunt, Locusta abit)

Rapax : Interim cubiculum vestrum curabo, ut post cenam statim quietem capere possitis. Mox redibo. (abit)

Sextus : Cupiditas incredibilis dormiendi me iam invadit.

Aulus : Copa nostra quidem nobis vinum singulari qualitate apportavit. Vero fortissimum est.

(Oscitant et somno opprimuntur)

Chorus:

O nefas,
O scelus,
O flagitium turpissimum!

Homines miseri non solum pecunia vitaeque sed etiam cena fraudabuntur; nam vino fatali graves cibum non iam sumere poterunt. Quis miseris illis aderit?

(Apparet Auli genius)

He, quis est? Estne aliqua larva?

Genius : Nolite timere! Mercatoris genius sum eumque e periculis servabo. Fidem in me habete! Caupo copaque iustam poenam dabunt. (abit)

Chorus:

Nunc iusta spes salutis data est.
In fidem genii confugimus,
Ut res feliciter eveniat. (abit)



Chorus: Nunc iusta spes salutis data est.

Scaena II

Caupo larvae specie sacco clavaque armatus dormientibus appropinquat.

Locusta: (parva voce) Noli oblivisci armillas de brachio et anulum de digito trahere. Magno pretio sunt.

Rapax : Tace! Primo cruminam, deinde muliebrem ornatum sumam. (Auli cruminam capit, qui somno movetur) Melius est quiescere, vetule, aliter pisces Lacus Benaci vises. Bene, denuo tranquillus est. (cruminam asportat) Optima negotia fecisti, propola. Hodie autem lucrum cauponi erit.

Locusta: Memento armillarum et anuli!

Rapax : (parva voce) Abi in malam rem. (magna voce) meminero, lux mea.

Sextus : Complures voces audio. Alii hospites interim advenērunt. (oculos aperit larvamque videt) Oiei, pulcher sane non es, amice; noli caput demittere! Natura non omnes mortales forma eximia donat. (denuo quietem capit).

Rapax : Dormita tu, cella vinaria verisimile es! (de brachio Auli armillas detrahit. Aulus caput vertit) Noli tumultuari, vetule. Homines molesti facile de vita migrant. Hominibus placidis autem licet prima

luce proficisci ac putare se ab aliqua larva noctu spoliatos esse.

Praedam capit et abit. Locusta item abit.

Chorus:

Nunc fas est homines scelestos coarguere.
Quid cessas, geni benignissime?
Auxilio nunc veni miseris hominibus!

Scaena III

Caupo, semper larvae specie, nummos numerat.

Rapax : Mox ditissimus ero. Multi nummi aurei in crumina sunt. Quod uxor mea ignorat. In horticulo sub pino alta thesaurus non mediocris iam defossus est. Cuius dominus sum. Mox cum muliercula flore iuventae et crumina plena aufugiam. Venefica mea sane stupet, cum avicula avolaverit. Hi, hi! Tempora mutabuntur.

(Interim genius appropinquavit)

Rapax : (genium spectans) Oiei, oiei, altera larva mihi obstat vultuque minaci mi appropinquat. Nunc quomodo me vertam, nescio.

Genius : Tace, sceleste, actum est de te! Locus fugiendi tibi non est. Nunc ratio a te repositur.

Rapax : (tremens) Oiei, oiei, bone vir, esne larva vera?

Genius : Larva non sum, inepte, sum mercatoris genius, quem e periculo mortis servabo.

Rapax : O geni benigne, noli irasci! Mercator in mortis periculo non erat. Fur quidem sum, concedo. Homicida autem non sum. Libentissime tibi bona mercatoris committam. Accipe! (genio praedam offert)

Locusta: (e posteriore parte scaenae) Ubi es, asine, quid cessas? Vetulus famulusque eius non iam trucidati sunt. Propera! Tempestatis impetus iam residit. Corpora celerrime in lacum iaci opus est. (genium

videns) Qui autem is est? Estne aliqui hospes novus?

Rapax : Tace, stultissima! Est genius mercatoris nostri, qui nos poena gravissima afficere vult.

Locusta: Semper idem es, asine! Nonne vides hominem istum furem aemulum esse? Sane, more nostro, rapinam facere vult.

Genius : Tace, improba! A deis immortalibus missus sum ad bonos tuendos. Tu autem maritusque tuus poenam iustam dabitis. Fures homicidaeque enim estis. Omnes caedes vestrae mox detegentur. Locusta: Heu me miseram! Res acta est. Perdita sum. Valete omnes! (e lagena veneno impleta bibit, qua re mortem sibi consciscit.)

Genius : Ecce! Venefica iam poenam dedit. (se convertens ad cauponem) Nunc autem partes tuae sunt!

Rapax : Clementia utere, domine! Coniuge auctore homicida factus sum. Sum homo mitis ingenii.

Scaena IV

Clamores post scaenam.


Aulus : (post scaenam) Mihi auxilio venite, turpissime spoliatus sum! (in scaenam prodit titubans) Famulus meus in somnio speciem singularem vidit, quam investigare decet...oiei, caput mihi dolet, lingua haesito. Toto corpore vacillo. Venenatus sum.

Sextus : (in scaenam prodiens) Heu nos miseros, ambo venenati sumus! (Locustam spectans) Heu, tertia victima adest. Arcessite medicum! Antidotum dari oportet.

Aulus : Tace, stulte, mulier ea nobis vinum veneno imbutum apportavit. Venefica est.

Sextus : Mehercle, mortua est. (cauponem conspiciens) Ha, te agnosco, sceleste! Haec larva mihi in somno appropinquavit. Certe fur noster est! (ad Rapacem) Redde nobis omnia nostra!

Rapax : Me adiuva, geni benigne, nonne vides istum dementem esse?



Aulus Sextus

Sextus: Heu nos miseros! Ambo venenati sumus.

Aulus : Ha, cauponis vocem agnosco. Res luce clarior est. Iste larvae specie me spoliavit. Manibus meis scelestum suffucabo! (se ruit in cauponem)

Genius : Pacem habete! (ad Aulum) Tuum non est ius dicere. Est iudicis scelestos homines capitis damnare. Venerare me ut genium tuum, qui miro modo te servavit.

Aulus : O divine...

Genius : Famulus fidus pariter ac dominus servatus est.

Sextus : O sancte...

Genius : Saepenumero enim caupo copaque viatores in caupona spoliaverunt, saepenumero eos in finem eum trucidaverunt. Vobis autem fortuna secunda favet. Non modo vobis licet lumen videre, sed etiam bona vestra recuperare.

Aulus et

Sextus : Gratiam deis habemus pro beneficio hoc!

Genius : Nunc autem a choro auxilium peto. Venite huc omnes!

(chorus intrat)

Genius : (digito cauponem demonstrans) Istum comprehendite
et cras mane iudicem Sirmionis adducite!

Duo chori membra : Libenter obtemperabimus.
(cauponem educunt)

Genius : Locustae corpus aequae asportate eique iusta facite!
Iudicium Orci erit in eam advertere.

Duo chori membra : Libenter parebimus.
(Locustae corpus asportant)

Cetera chori membra:

O gravem sententiam gravis genii.
Hominis non est ex arbitrio iudicare.
Legibus divinis humanisque parere debet.

Aulus : Genio iuvante res optime evenit. O noctem dignam
memoria, o diem memorabilem! Genio meo, domi
nostrae aram aedificabo. Cottidie familia cuncta
ei sacrum faciet.

Sextus : Cras mane capita nostra leviora erunt. Laetis ani-
mis iter Veronam faciemus. Sirmionis paeninsulam
sane quam celerrime relinquere cupio.

Genius : (ad spectatores se vertens) Vos autem Catulli sen-
tentiam probate, nam Sirmio profecto locus amoenus
est.

Chorus:

Vos omnes scitis
E Catulli carmine
Paeninsulam venustam
Sirmionis nomine
Sitam in undis Lacus Bernaci
Esse terram iucundam hospiti.

Valete omnes et rem bene gerite!

Barbara Maier

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mitten-
da est ad adressam infra
stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!
Nomen emittentis et inscriptio cursalis:



AZ

8050 Zürich


11+12/88

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXVIII



RVMOR VARIVS



TOMUS II

FASC. 74